

credamus, adducemur tunc si exempla aliquot, imò unum saltem adduxerit Watsonius : Novi Matronam nobilem, quæ conspectâ statuâ ligneâ fœminina compressis femoribus muliebria occultantem, peperit postea famellam, locum istum membrana tenui obductum habentem; quâ ferro patefactâ, interiora salva deprehensa sunt. Repræsentavit ergò phantasia ea tantùm, quæ in oculos incurrebant. Si verò tantus fuisset, & tam altè penetrans effectus imaginationis, quantum Watsonius nobis persuadere conatur, profectò fœtus vel totus fuisset ligneus, vel omni cavitare uteri caruisset. Si autem maximè imaginatio omnia præstaret, quæ ad certum sexum requiruntur, non tamen constitui propterea deberet causa per se, nedum proximâ & adæquatâ, quâ positâ ponatur, & remotâ tollatur hic vel ille sexus. Cùm certum sit, multoties fieri conceptionem sine certi alicujus sexus imaginatione, & imaginationem multis aliis rebus in natura destinatam esse. Si verò causa adæquata esset omnium specierum quas concipit, profecto vel minimum oppidulam formarum in conceptibus varietate Africam quæ semper aliquid novi dicitur in hoc genere ferre, superaret. Ejusdem farinae sunt, quæ iterum de calore subjungit, *Calorâ, inquit, virtutes, quod toto genere diversas res producant, naturæ artiumq; speculatores norunt.* Novi & ego, quamvis non sim ita curiosus naturæ artiumque speculator ut Watsonius. Sed num ex eadem materia? *A calore numero specieq; eodem, suo tempore proveniunt, plantæ, mineralia, &c.* sed num ex ejusdem speciei seminibus, quemadmodum sanguis menstruus ejusdem est speciei? *Cera ab eodem calore liquefit, & lutum induratur,* num verò ab eodem & lutum liquefit & cera induratur? Vides itaq; diversitatis rationem hæc in parte, imò in tota ferè Phisica omnem, à materiæ diversitate dependere. Ita in quacunq; conceptione ab eodem calore, uterq; sexus provenit, tanquam efficiente scilicet, sed non ab eadem materia. *Quidni* [pergit] *possit calor humanus ex idonea materia marem & fœminam formare?* quæro & ego quid ni possit? *ex idoneâ scilicet, ut ipse addit materia, hoc est, cuiq; propria & οικεία,* [ut loquitur Aristoteles] sanguinem verò menstruum, sexui utrique οικείον dicere contradictionem, ut sæpe dixi, implicat, cùm non ex quovis ligno fieri possit Mercurius. *Extra oleas est,* [pergit] *virum & mulierem debere specie differre, si forma aut calor eorum producit marem & fœminam.* Est sane extra oleas, Ego ne verò hoc dixi? Nego; hoc verò dixi, & nunc, quia necesse video,

deo,